



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

Sectio Tertia. Argumentum. Antonij contra licitum usum minus tutæ æquè
probabilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

minùs tutis probabilioribus, aut moraliter certis, contradiçtorijs, ex quibus tot sunt falsæ, quot veræ. Sicut ergo animus sequendi quamlibet ex his non abducit moraliter à Deo, immò nec materialiter, nam à Deo, nec materialiter recedimus, nec accedimus; ita nec animus sequendi quamlibet ex illis. Quod enim à Deo nobis vetatur, est formalis violatio, non autem sola etiam materialis divisa ab illà; maxime si hæc materialis certò probabiliter negetur, ut in casu nostro, etsi posset quoque certò probabiliter affirmari.

S E C T I O IV.

Ejus argumenta pro non licito usu minùs tutæ probabilioris, si stans pro lege sit probabilis.

S U M M A R I U M.

Negat licitum sequi minùs tutam probabilioris, n. 44.

Ejus rationes à n. 45. ad 48.

Faciunt quòd argumentum ex periculo peccati materialis suadent non licere probabilioris minùs tutam, n. 50.

Dico quòd cum æque deus lex de vitando errore materiali, ac peccato materiali, si licet tutior minùs probabilis, licet minùs tuta probabilior, n. 51.

Si aliqua præferenda, præferenda minùs tuta probabilior, nec ulla dari potest lex de tutiori minùs probabilis, n. 52. 53.

Solvo rationes à n. 55. ad 57.

N.
44.
De
Charl.

Docet cap. 21. pag. 157. quòd, nec licitum sit sequi minùs tutam probabilioris, si tutior sit probabilis; etsi enim credere possum veram probabilioris, non tamen continuo licet secundum eam agere, quia exponeret se periculo probabili peccati; nam licet assensus opinionis probabilioris non sit imprudens, est tamen ejus usus, quia usus separari nõ potest ab hac malà circumstantià, nempe à periculo peccati, à quo separari potest assensus probabilior: ex. gr. licet judicare possum aliqua verba non includere blasphemiam, non tamen prudens erit judicium practicum, quòd ea verba preferre possum.

N.
45.

Probat 1. eà regulà, Quod tibi non vis, alteri ne feceris; sed nemo veller, ut famulus poneret aliquid sibi probabiliter displiciturum, etsi probabilius videretur famulo eam non displiciturum: ergo nemo potest velle ponere aliquid, etsi probabilius, Deo non displiciturum, si probabile simul sit displiciturum.

N.
46.

Probat 2. ex charitate, quæ postulat, ut

præferamus Deum omni incommodo nostro, quoties probabile est ejus legem violandam: ergo gravissimè leditur charitas, si ponamus opus cum probabili timore offendendi Deum; sed hoc accidit in eligente minùs tutam probabilioris, quoties tutior est probabilis: ergo.

Probat 3. ex prudentià, quæ obligat omittere omne id, quod probabiliter potest nos 47. separare à Deo.

Probat 4. cap. 22. quia ad peccatum requiritur, ut liberè violetur Dei lex; cum autem sequens probabilioris minùs tutam cognoscere probabiliter possit periculum violandi Dei legem, & id eligat, eo ipso nil deest ad peccatum. Nec subterfugimus per nostram distinctionem peccati materialis, & formalis, quasi verò tunc tantum sit sequendum tutius, quando præter violationem legis imminet aliud damnum; nam Innocentius XI. (ait pag. 167.) damnavit dicentem, Inn. XI. non esse illicitum sequi probabilem de valore Sacramenti, nisi vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: ergo licet nec lex positiva vetet, nec conventio, nec imminet periculum alicujus damni, adhuc illicitum est sequi probabilem. Cur autem, nisi quia periculum esset, quòd Sacramentum foret nullum? Ergo ipsa sola materialis irreverentia est vitanda.

Probat 5. cap. 23. ex tot minis, & promissis, quibus Deus utitur, ut nos suæ legis observantes efficiat: ergo non tantum vult, ut pareamus legi, dum ea certò constat; sed etiam, ne ponamus id, quo probabile est eam violandam. Trahit in hunc finem exempla Sanctorum, & textum sæpe adductum, quòd via apparens iusta ducat ad mortem; & quia excusabilia essent peccata persequentium Ecclesiam, qui putabant obsequium se præstare Deo: ex cap. 24. dicit hoc sensisse Scotum, Adrianum, Almainum, Caietanum, Gabrielem, Authorem Armillæ.

Scotus,
Adrian.
Almain.
Caiet.
Gabriel,
Armilla

Laudo in hoc Doctore consequentiam, aperte enim fatetur cap. 21. pag. 155. quòd argumenta sumpta ex inculcatione legis, ex ijs, quæ Deo debemus, ex charitate, & alia adducta contra licentiam minùs tutæ, minùs, aut æquè probabilis suadeant illicitum quoque usum minùs tutæ probabilioris, si adest periculum probabile violandi legem. Quare Author iste non est Probabiliorista, sed Tutiorista.

At facillimè ejus argumenta exploduntur, si advertatur, quòd non inferioribus promissis, & minis impellat nos Deus ad veritatem, quàm ad aliarum legum observantiam;